

unus Spiritus, quia Spiritu Dei donatur, Spiritu Dei regi-
tur & per Spiritum Deo adhæret, 1. Cor. 12. vers. 13. *In uno
Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive
gentiles sive servi, sive liberi & omnes in unum Spiritum potati su-
mus. Galat. 3. vers. 28. Non est Judæus, nec Græcus, non est ser-
vus, nec liber, non est masculus nec fœmina, omnes enim vos eîs eîs
unus estis in Christo.* 5. Quod si nomen *Κοινωνία* personaliter
accipere velimus de Christo, de quo v. 15. dicitur, *nescitis,
quoniam corpora vestra membra sunt Christi &c.* verissimum est
pios Christo non tantum uniri spirituali & mystica unione,
sed etiam inter Christum ratione assumptæ humanæ Naturæ
& pios esse *ἰσχυριστῶν*, de qua Apostolus Ephes. 5. vers. 30.
membra sumus corporis ex carne ejus & ex ossibus ejus, sed de ea
hoc loco non agitur, quando is, qui Domino adhæret, u-
nus Spiritus dici ur.

26. 4. Johann 17. vers. 21. *Christus orat, ut credentes u- 4. Job. 17.
num sint, sicut Pater in ipso & ipse in Patre, ut & ipsi in illis unum v. 21. Cre-
sint. Jam vero credentium unitas est tantum unitas consensus & dentes sunt
affectus. Act. 4. vers. 32. Rom. 12. vers. 16. Ergo & Patris unum con-
& Filii unitas talis est, non autem essentialis. Vide Erasmus in sensu &
resp. ad notationes Lei p. 233. ubi Arianorum exceptio- affectu.
nem profert, & urget. Cur (inquit) in una parte Augustinus
cumque hoc alii complures interpretantur unum esse consensum fidei,
in altera eandem essentiam. Resp. 1. ex verbis Christi recte
colligitur, Patrem & Filium esse unum unitate voluntatis,
sed ex eo non potest nec debet inferri, quod non sint unum
unitate essentia, neque enim latius extendi debet compa-
ratio unitatis in credentibus cum unitate in Patre & Filio,
quam scopus verborum Christi & fidei analogia permittit.
καθὼς hoc loco non designat æqualitatem, sed qualemcun-
cunque similitudinem unitatis illius, qua credentes sunt u-
num cum unitate, qua Pater & Filius unum sunt. 2. Sic
jubet Deus, ut simus sancti, sicut ipse sanctus est, Levit. 11.
vers. 44. ut simus perfecti, sicut ipse perfectus est, Matth. 5.
vers. 48. ut simus misericordes sicut ipse misericors est, Luc. 6.
vers.*